



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes
Antiqvae Libri Dvo**

Suarès, Joseph Marie

Romae, 1655

[zwischengebundenes Blatt]

urn:nbn:de:hbz:466:1-11894



CHNOGRAPHIAM Tēpli Fortuna, quod olim Præneste ambitioso adurgebat opere, Iulianus Fianbestus Francisci filius, cui sui nobilissimus Architectus, cui a S. Gallo cognomen fuit, calamo delinearat, & illam spectare

licet in Codice vetusto, qui asservatur penes Eminentissimum Cardinalem Iulium Sacchetti, quem uti virtutum omnium exemplar merito boni omnes suspiciunt.

Excuderat Antuerpiæ Sacellum Fortunæ semirutum, ac simulacra cum Templi ruinis, sed & erectum Obeliscum è regione Philippus Gallæus inuentore Henrico Cluense. Excellentiss. Princeps Sancti Angeli Federicus Cæsius sicuti Lithofroti Syllani duo fragmenta, ita Orthographiam Templi Fortunæ incidi æri curauerat, sed non successit pro voto conatus, quia forsitan minus accuratum, neque satis peritum nactus erat Architectum, quippe qui mensuras parum diligenter obseruauit, nec ad iustam symmetriam opus exegit.

Eminentissimus igitur Cardinalis Franciscus Barberinus illud re demum, suisque numeris omnibus perfecturus, Prænesten deduxit Petrum Berretinum Cortonensem, qui priscis celeberrimis Architectis haud impar (sic enim eloquor, ut amici modestiæ parcam) ætate nostra etiam in arte picturæ principatum tenet. Hic verò, ut acri pollet ingenio, & superscriptum Card. Franciscum Mæcanatem venerabundus amat, lapides omnes è tam immanis, tamquæ insani ædificij strage (ut ita dicam) superstites multo cum labore ad circi-

ci-

cinum, regulamque dimensus, & vel minima-
quæque parietinarum lapsantium vestigia so-
llicitè persequutus (quando semper affectionis
comes est industria teste Vegetio de re militari)
Fortunæ Templum euersum, & iniuria tempo-
rum, varijsquè casibus labefactatum adamussim
instaurauit, adeò, vt id reædificare visus sit, atque
in integrum penitus restituere.

En itaque hisce tribus in tabulis non Ichno-
graphiam tantùm, verùm Orthographiam anti-
qui Templi Fortunæ, quod Præneste visebatur.
Eas autem cura ductu, atque industria Petri
Berrettini Cortonenfis expressit typis ingeniosus
Architectus Dominicus Castellus ex aula Emi-
nentissimi Cardinalis Barberini -

